Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quam exhibuit nobis moriendo pro nobis. atq. dixisset. maio
rem hac dilectionem nemo habet. ut animam suam ponat quis
pro amicis suis. uos inquit amici mei estis. si feceritis que ego
precipio uobis. O magna dignatio. Cum seruus bonus esse non
possit. nisi precepta domini sui fecerit. hinc amicos suos uoluit
intellegi. unde boni serui possunt probari. Sed ut dixi ista
dignatio est. ut dominus quos nouit seruos suos dignetur dice
re amicos suos. Nam ut scitis ad seruii officium pertinere.
precepta sui domini facere. alio loco seruos increpat obiurgat di
cens. Quid autem uocatis me domine domine. et non facitis quod dico.
Cum ergo dicitis inquit domine. iussa faciendo quod dicitis ostendite.
Nonne seruo obedienti ipse dicturus est. euge euge ser
ue bone. quoniam in paucis fuisti fidelis. super multa te consti
tuam. intra in gaudium domini tui. Potest esse et seruus et ami
cus. qui seruus est bonus. Sed quod sequitur attendamus.
Iam non dico uos seruos. quia seruus nescit quid faciat
dominus eius. Quomodo intellecturi sumus et seruum. et amicum esse
seruum bonum. cum dicat. iam non dicam uos seruos
quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Ita nomen estimatur
ut amici ut auferat serui. non ut in uno utrumque maneat. sed ut alterum altero decedente succedat. Quid est hoc.
tane cum precepta domini fecerimus serui non erimus. tane tu
serui non erimus. quando boni serui fuerimus. Et quis potest
contradicere ueritati que ait. iam non dicam uos seruos.
Et cur hoc dixerit docet. quia seruus inquit nescit quid fa